



Peruasum habe perinde te Angeli ductum
sequi oportere, atque cœcum quempiam, qui
viarum discrimina ignorans, eius, qui baculo
gressum illius regit, providentiæ in omnibus
confidit, *Ex dicto. S. Aloysij.*

Devotio erga SS. Angelos.

Pro Candidatis Religiosorum Ordinem.

XXI. J V N I I.

Mortuus ALOYSIVS nascendo erat, si non parienti Matri Mater MARIA affuisset. Inter prima eius verba IESVS & MARIA feruntur, boni ominis. Puerulus etiamnum in singulis scalarum gradibus scalam cœli MARIAM salutavit. Huius horas quotidie, Sabbatho etiam jejunos dixit. Ad huius effigiem, quam Florentia ANNUNTIATÆ Titulo colit, florem virginitatis consecravit, semper, dum vixit, intactum, quia HORTO CONCLUSO commiserat. Interim catenas flagelli, calcæria cilicii loco quamvis currenti sponte corpufculo admovebat, victus vix unciam appendebat, fœminarum & chorearum hostis, Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aspexit, precibus tam ubique additus, ut loqui eum angulis dicerent, rectius Angelis dicturi. Aiebat frequenter: *Non videre se, cur non mortales omnes religioni se maciparent.* Et certè Senis cum ad Sodales Marianos diceret, benè multis id persuasit. Ipse, cum Assumptæ Virginis die illa è cœlo audisset, *Societatem IESV ingredi:* post longas cum Patre pugnas, MARIÆ IESVM iunxit. Hunc, quoties studeret, in genua provolutus vocare: Hunc sub panis velo latitantem ante & post ludum literarium salutare; sacrificiis quinis senive Minister assistere, ad conspectum HOSTIÆ lacrymis manare; cum verò eo epulo frueretur, inundare etiam: itaque nullius notæ gravioris sibi conscius Angeli nomen meruit; ut terra cœlum dici posset, si plures Aloysios haberet, *En*

Virg. Coparis.